

AUSONE

MOSELLA (483 vers)

v.1 Transieram celerem nebuloso flumine Navam,
 2 addita miratus veteri nova moenia vico,
 3 aequavit Latias ubi quondam Gallia Cannas,
 4 infletaeque jacent inopes super arva catervae.
 5 Unde iter ingrediens nemorosa per avia solum
 6 et nulla humani spectans vestigia cultus,
 7 praetereo arentem sitientibus undique terris
 8 Dumnissum riguasque perenni fonte Tabernas,
 9 arvaque Sauromatum nuper metata colonis :
 10 et tandem primis Belgarum conspicor oris
 11 Nivomagum, divi castra inclita Constantini.
 12 Purior hic campis aer, Phoebusque sereno
 13 lumine purpureum reserat jam sudus Olympum :
 14 nec jam, consertis per mutua vincula ramis,
 15 quaeritur exclusum viridi caligine caelum ;
 16 sed liquidum jubar, et rutilam visentibus aethram
 17 libera perspicui non invidet aura diei :
 18 in speciem quum me patriae cultumque nitentis
 19 Burdigalae, blando pepulerunt omnia visu,
 20 culmina villarum pendentibus edita ripis,
 21 et virides Baccho colles et amoena fluenta
 22 subterlabentis tacito rumore Mosellae.
 23 Salve, amnis laudate agris, laudate colonis,
 24 dignata imperio debent cui moenia Belgae :
 25 amnis odorifero juga vitea consite Baccho,
 26 consite gramineas, amnis viridissime, ripas !
 27 Naviger ut pelagus, devexas pronus in undas
 28 ut fluvius, vitreoque lacus imitate profundo ;
 29 et rivos trepido potis aequiperare meatu,
 30 et liquido gelidos fontes praecellere potu :
 31 omnia solus habes, quae fons, quae rivus, et amnis,
 32 et lacus, et bivio refluus manamine pontus.
 33 Tu placidis praelapsus aquis nec murmura venti
 34 ulla, nec occulti pateris luctamina saxi.
 35 Non superante vado rapidos properare meatus
 36 cogeris, extantes medio non aequore terras
 37 interceptus habes : justi ne demat honorem
 38 nominis, exclusum si dividat insula flumen.
 39 Tu duplices sortite vias et cum amne secundo
 40 defluis, ut celeres feriant vada concita remi ;
 41 et cum per ripas nusquam cessante remulco
 42 intendunt collo mulorum vincula nautae :
 43 ipse tuos quotiens miraris in amne recursus,
 44 legitimosque putas prope segnius ire meatus ?
 45 Tu neque limigenis ripam praetexeris ulvis,
 46 nec piger inmundo perfundis litora caeno :
 47 sicca sed in prima adspergis vestigia lymphae.
 48 I nunc, et Phrygiis sola levia consere crustis,

49 tendens marmoreum laqueata per atria campum.
 50 Ast ego despectis, quae census opesque dederunt,
 51 naturae mirabor opus, non cura nepotum,
 52 laetaque jacturis ubi luxuriatur egestas.
 53 Hic solidae sternunt humentia litora harenae,
 54 nec retinent memores vestigia pressa figuras.
 55 Spectaris vitreo per levia terga profundo,
 56 secreti nihil, amnis, habens ; utque almus aperto
 57 panditur intuitu liquidis obtutibus aer
 58 nec placidi prohibent oculos per inania venti,
 59 sic demersa procul durante per intima visu
 60 cernimus arcanique patet penetrabile fluenti,
 61 cum vada lene meant ; liquidarum et lapsus aquarum
 62 prodit caerulea dispersas luce figuras :
 63 quod sulcata levi crispatur harena meatu,
 64 inclinata tremunt viridi quod gramina fundo ;
 65 usque sub ingenuis agitatae fontibus herbae
 66 vibrantes patiuntur aquas : lucetque, latetque
 67 calculus, et viridem distinguit glarea muscum.
 68 Tota Caledoniis talis pictura Britannis,
 69 cum virides algas et rubra corallia nudat
 70 aestus et albentes, concharum germina, baccas,
 71 delicias hominum locupletes, quaeque sub undis
 72 adsimulant nostros imitata monilia cultus.
 73 Haud aliter placidae subter vada laeta Mosellae,
 74 detegit admixtos non concolor herba lapillos.
 75 Intentos tamen usque oculos errore fatigant
 76 interludentes, examina lubrica, pisces.
 77 Sed neque tot species, obliquatosque natatus,
 78 quaeque per adversum succedunt agmina flumen,
 79 nominaque, et cunctos, numerosae stirpis alumnos,
 80 edere fas : haud ille sinit, cui cura secundae
 81 sortis, et aequorei cessit tutela tridentis.
 82 Tu mihi, flumineis habitatrix, Nais, in oris,
 83 squamigeri gregis ede choros liquidoque sub alveo
 84 dissere caeruleo fluitantes amne catervas.
 85 Squameus herbosas capito inter lucet harenas,
 86 viscere praetenero fartim congestus aristis,
 87 nec duraturus post bina trihorria mensis.
 88 Purpureisque salar stellatus tergora guttis,
 89 et nullo spinae nociturus acumine redo,
 90 effugiensque oculos celeri levis umbra natatu.
 91 Tuque per obliqui fauces vexate Saravi,
 92 qua bis terna fremunt scopulosis ostia pilis,
 93 cum defluxisti famae majoris in amnem,
 94 liberior laxos exerces, barbe, natatus.
 95 Tu melior pejore aevo : tibi contigit omni
 96 spirantum ex numero non inlaudata senectus.
 97 Nec te puniceo rutilantem viscere, salmo,
 98 transierim, latae cujus vaga verbera caudae
 99 gurgite de medio summas referuntur in undas,
 100 occultus placido cum proditur aequore pulsus.
 101 Tu loricato squamosus pectore, frontem
 102 lubricus, et dubiae facturur fercula cenae,
 103 tempora longarum fers incorrupte morarum,
 104 praesignis maculis capitis : cui prodiga nutat
 105 alvus, opimatoque fluens abdomine venter.
 106 Quaeque per Illyricum, per stagna binominis Istri

107 spumarum indiciis caperis, mustela, natantum,
 108 in nostrum subvecta fretum, ne lata Mosellae
 109 flumina tam celebri defraudarentur alumno.
 110 Quis te naturae pinxit color ! atra superne
 111 puncta notant tergum, quae lutea circuit iris ;
 112 lubrica caeruleus perducit tergora fucus ;
 113 corporis ad medium fartim pinguescis, at illinc
 114 usque sub extremam squalet cutis arida caudam.
 115 Nec te, delicias mensarum, perca, silebo,
 116 amnigenos inter pisces dignande marinis,
 117 solus puniceis facilis contendere mullis ;
 118 nam neque gustus iners : solidoque in corpore partes
 119 segmentis coeunt, sed dissociantur aristis.
 120 Hic etiam Latio risus praenomine, cultor
 121 stagnorum, querulis vis infestissima ranis,
 122 lucius, obscuras ulva caenoque lacunas
 123 obsidet : hic nullos mensarum lectus ad usus,
 124 fervet fumosis olido nidore popinis.
 125 Quis non et virides, vulgi solacia, tincas
 126 norit et alburnos, praedam puerilibus hamis,
 127 stridentesque focus, opsonia plebis alausas ?
 128 Teque inter species geminas, neutrumque, et utrumque,
 129 qui nec dum salmo, nec jam salar, ambiguusque,
 130 amborum medio, fario, intercepte sub aevo ?
 131 Tu quoque flumineas inter memorande cohortes,
 132 gobio, non geminis major sine pollice palmis,
 133 praepinguis, teres, ovipara congestior alvo,
 134 propexique jubas imitatus, gobio, barbi.
 135 Nunc, pecus aequoreum, celebrabere, magne silure,
 136 quem velut Actaeo perductum tergora olivo
 137 amnicolam delphina reor : sic per freta magnum
 138 laberis et longi vix corporis agmina solvis,
 139 aut brevibus deprensa vadis aut fluminis ulvis.
 140 At cum tranquillos moliris in amne meatus,
 141 te virides ripae, te caerulea turba natantum,
 142 te liquidae mirantur aquae : diffunditur alveo
 143 aestus et extremi procurrunt margine fluctus.
 144 Talis Atlantiaci quondam balaena profundo,
 145 cum vento motu suo telluris ad oras
 146 pellitur, exclusum fundit mare ; magnaque surgunt
 147 aequora vicinique timent decrescere montes.
 148 Hic tamen, hic nostrae mitis balaena Mosellae
 149 exitio procul est, magnoque honor additus amni.
 150 Jam liquidas spectasse vias et lubrica pisces
 151 agmina multiplicisque satis numerasse catervas.
 152 Inducant aliam spectacula vitea pompam,
 153 sollicitentque vagos Baccheia munera visus
 154 qua sublimis apex longo super ardua tractu,
 155 et rupes, et aprica jugi flexusque, sinusque,
 156 vitibus adsurgunt naturalique teatro.
 157 Gauranum sic alma jugum vindemia vestit,
 158 et Rhodopen, proprioque nitent Pangaea Lyaeo.
 159 Sic viret Ismarius super aequora Thracia collis,
 160 sic mea flaventem pingunt vineta Garumnam.
 161 Summis quippe jugis tendentis in ultima clivi,
 162 conseritur viridi fluvialis margo Lyaeo.
 163 Laeta operum plebes, festinantesque coloni
 164 vertice nunc summo properant, nunc de iuge dorso,

165 certantes stolidis clamoribus : inde viator
166 riparum subjecta terens, hinc navita labens,
167 probra canunt seris cultoribus ; adstrepit ollis
168 et rupes et silva tremens et concavus amnis.
169 Nec solos homines delectat scaena locorum.
170 Hic ego et agrestes Satyros et glauca tuentes
171 Naidas extremis credam concurrere ripis,
172 capripedes agitat cum laeta protervia Panas
173 insultantque vadis trepidasque sub amne sorores
174 terrent, indocili pulsantes verbere fluctum.
175 Saepe etiam mediis furata e collibus uvas
176 inter Oreiadas Panope fluvialis amicas,
177 fugit lascivos, paganica numina, Faunos.
178 Dicitur et medio cum sol stetit aureus orbe,
179 ad commune fretum Satyros vitreasque sorores,
180 consortes celebrare choros, cum praebuit horas
181 secretas hominum coetu flagrantior aestus.
182 Tunc insultantes sua per freta ludere Nymphas,
183 et Satyros mersare vadis rudibusque natandi
184 per medias exire manus ; dum lubrica falsi
185 membra petunt liquidosque foveant pro corpore fluctus.
186 Sed non haec spectata ulli, nec cognita visu,
187 fas mihi sit pro parte loqui : secreta tegatur
188 et commissa suis lateat reverentia rivis.
189 Illa fruenda palam species cum glaucus opaco
190 respondet colli fluvius : frondere videntur
191 fluminei latices et palmite consitus amnis.
192 Quis color ille vadis, seras cum propulit umbras
193 Hesperus et viridi perfudit monte Mosellam ?
194 Tota natant crispis juga motibus et tremunt absens
195 pampinus, et vitreis vindemia turget in undis.
196 Adnumerat virides derisus navita vites,
197 navita caudiceo fluitans super aequora lembo,
198 per medium, qua sese amni confundit imago
199 collis, et umbrarum confinia conserit amnis.
200 Haec quoque quam dulces celebrant spectacula pompas,
201 remipedes medio certant cum flumine lembi,
202 et varios ineunt flexus viridesque per oras
203 stringunt attonsis pubentia germina pratis !
204 Puppibus et proris alacres gestire magistros,
205 impubemque manum super amnica terga vagantem
206 dum spectat, transire diem, sua seria, ludo
207 posthabet : excludit veteres nova gratia curas.
208 Tales Cumano despectat in aequore ludos
209 Liber, sulphurei dum per juga consita Gauri,
210 perque vaporiferi graditur vineta Vesevi :
211 cum Venus Actiacis Augusti laeta triumphis,
212 ludere lascivos fera proelia jussit Amores,
213 qualia Niliacae classes Latiaeque triremes
214 subter Apollinae gesserunt Leucados arces ;
215 aut Pompeiani Mylasena pericula belli
216 Euboicae referunt per Averno sonantia cumbae ;
217 innocuos ratiumpulsus pugnasque jocantes
218 naumachiae, Siculo quales spectante Peloro
219 caeruleus viridi reparat sub imagine pontus.
220 Non aliam speciem petulantibus addit ephebis
221 pubertasque amnisque et picti rostra phaseli.
222 Hos Hyperionio cum sol perfuderit aestu,

223 reddit nautales vitreo sub gurgite formas
 224 et redigit pandas inversi corporis umbras.
 225 Utque agiles motus dextra laevaue frequentant,
 226 et commutatis alternant pondera remis,
 227 unda refert alios, simulacra umentia, nautas.
 228 Ipsa suo gaudet simulamine nautica pubes,
 229 fallaces fluvio mirata redire figuras.
 230 Sic ubi compositos ostentatura capillos
 231 candentem late speculi explorantis honorem
 232 cum primum carae nutrix admovit alumnae,
 233 laeta ignorato fruitur virguncula ludo
 234 germanaeque putat formam spectare puellae :
 235 oscula fulgenti dat non referenda metallo,
 236 aut fixas praetemptat acus aut frontis ad oram
 237 vibratos captat digitis extendere crines.
 238 Talis ad umbrarum ludibria nautica pubes
 239 ambiguis fruitur veri falsique figuris.
 240 Jam vero accessus faciles qua ripa ministrat,
 241 scrutatur toto populatrix turba profundo,
 242 heu ! male defensos penetrati flumine pisces.
 243 Hic medio procul amne trahens umentia lina,
 244 nodosis decepta plagis examina verrit ;
 245 ast hic, tranquillo qua labitur agmine flumen,
 246 ducit corticeis fluitantia retia signis.
 247 Ille autem scopulis dejectas pronus in undas,
 248 inclinat lentae convexa cacumina virgae,
 249 inductos escis jaciens letalibus hamos.
 250 Quos ignara doli postquam vaga turba natantum
 251 rictibus invasit patulaeque per intima fauces
 252 sera occultati senserunt vulnera ferri :
 253 dum trepidant, subit indicium ; crispoque tremori
 254 vibrantis saetae nutans consentit harundo.
 255 Nec mora, et excussam stridenti verbere praedam
 256 dexter in obliquum raptat puer : excipit ictum
 257 spiritus, ut tractis quondam per inane flagellis
 258 aura crepat motoque adsibilat aere ventus.
 259 Exsultant udae super arida saxa rapinae,
 260 Luciferique pavent letalia tela diei.
 261 Quique sub amne suo mansit vigor, aere nostro
 262 segnīs anhelatis vitam consumit in auris.
 263 Jam piger invalido vibratur corpore plausus ;
 264 torpida supremos patitur jam cauda tremores,
 265 nec coeunt rictus : haustas sed hiatibus auras
 266 reddit mortiferos expirans branchia flatus.
 267 Sic ubi fabriles exercet spiritus ignes,
 268 accipit alterno cohibetque foramine ventos
 269 lanea fagineis alludens parma cavernis.
 270 Vidi egomet quosdam leti sub fine trementes
 271 collegisse animas : mox in sublime citatos
 272 cernua subjectum praeceps dare corpora in amnem,
 273 desperatarum potientes rursus aquarum.
 274 Quos impos damni puer inconsultus ab alto
 275 impetit et stolido captat prensare natatu.
 276 Sic Anthedonius Boeotia per freta Glaucus
 277 gramina gustatu postquam exitialia Circes
 278 expertus, carptas moribundis piscibus herbas
 279 sumpsit, Carpathium subiit novus accola pontum.
 280 Ille hamis et rete potens, scrutator operti

281 Nereos, aequoream solitus converrere Tethyn,
 282 inter captivas fluitavit praedo catervas.
 283 Talia despectant longo per caerula tractu
 284 pendentes saxi instanti culmine villae ;
 285 quas medius dirimit sinuosis flexibus errans
 286 amnis, et alternas comunt praetoria ripas.
 287 Quis modo Sestiacum pelagus, Nepheleidos Helles
 288 aequor, Abydeni freta quis miretur ephebi ?
 289 Quis Chalcedonio constratum ab litore pontum,
 290 regis opus magni, mediis euripus ubi undis
 291 Europaeque Asiaeque vetat concurrere terras ?
 292 Non hic dira freti rabies, non saeva furentum
 293 proelia Caurorum : licet hic commercia linguae
 294 jungere et alterno sermonem texere pulsu.
 295 Blanda salutiferas permiscent litora voces,
 296 et voces et paene manus : resonantia utrimque
 297 verba refert, mediis concurrens fluctibus echo.
 298 Quis potis, innumeros cultusque habitusque retexens,
 299 pandere tectonicas per singula praedia formas ?
 300 Non hoc spernat opus Gortynius aliger, aedis
 301 conditor Euboicae, casus quem fingere in auro
 302 conantem Icarior patrii pepulere dolores ;
 303 non Philo Cecropius ; non qui laudatus ab hoste
 304 clara Syracosii traxit certamina belli.
 305 Forsan et insignes hominumque operumque labores
 306 hic habuit decimo celebrata volumine Marci
 307 hebdomas : hic clari viguere Menecratis artes
 308 atque Ephesi spectata manus ; vel in arce Minervae
 309 Ictinus, magico cui noctua perlita fuco
 310 allicit omne genus volucres perimitque tuendo.
 311 Conditor hic forsitan fuerit Ptolemaidos aulae
 312 Dinochares, cujus quadro in fastigia cono
 313 surgit et ipsa suas consumit pyramis umbras ;
 314 jussus ob incesti qui quondam foedus amoris
 315 Arsinoen Pharii suspendit in aere templi.
 316 Spirat enim tecti testudine corus achates
 317 afflatamque trahit ferrato crine puellam.
 318 Hos ergo aut horum similes est credere dignum
 319 Belgarum in terris scaenas posuisse domorum,
 320 molitos celsas, fluvii decoramina, villas.
 321 Haec est nativi sublimis in aggere saxi,
 322 haec procurrentis fundata crepidine ripae,
 323 haec refugit captumque sinu sibi vindicat amnem.
 324 Illa tenens collem, qui plurimus imminet amni,
 325 usurpat faciles, per culta, per aspera, visus ;
 326 utque suis fruitur felix speculatio terris.
 327 Quin etiam riguis humili pede condita pratis
 328 compensat celsi bona naturalia montis
 329 sublimique minans irrumpit in aethera tecto,
 330 ostentans altam Pharos ut Memphitica turrim.
 331 Huic proprium est clausos consaepto gurgite pisces
 332 apricas scopulorum inter captare novalis ;
 333 haec, summis innixa jugis, labentia subter
 334 flumina despectu jam caligante tuetur.
 335 Atria quid memorem viridantibus adsita pratis
 336 innumerisque super nitentia tecta columnis ?
 337 Quid quae flumine substructa crepidine fumant
 338 balnea, ferventi cum Mulciber haustus operto

339 volvit anhelatas tectoria per cava flammam,
340 inclusum glomerans aestu expirante vaporem ?
341 Vidi ego defessos multo sudore lavacri
342 fastidisse lacus et frigora piscinarum,
343 ut vivis fruerentur aquis, mox amne refotos
344 plaudenti gelidum flumen pepulisse natatu.
345 Quod si Cumanis huc afforet hospes ab oris,
346 crederet Euboicas simulacra exilia Baias
347 his donasse locis : tantum cultusque nitorque
348 allicit et nullum parit oblectatio luxum.
349 Sed mihi qui tandem finis tua glauca fluenta
350 dicere dignandumque mari memorare Mosellam,
351 innumeri quod te diversa per ostia late
352 incurrunt amnes ? Quamquam differre meatus
353 possent, sed celerant in te consumere nomen !
354 Namque et Pronaeae Nemesaeque adjuta meatu
355 Sura tuas properat non degener ire sub undas,
356 Sura interceptis tibi gratificata fluentis :
357 nobiliter permixta tuo sub nomine, quam si
358 ignoranda patri confunderet ostia Ponto.
359 Te rapidus Celbis, te marmore clarus Erubrus
360 festinant famulis quam primum adlambere lymphis.
361 Nobilibus Gelbis celebratur piscibus : ille
362 praecipiti torquens cerealia saxa rotatu
363 stridentesque trahens per levia marmora serras
364 audit perpetuos ripa ex utraque tumultus.
365 Praetereo exilem Lesuram tenuemque Draconum,
366 nec fastiditos Salmonae usurpo fluores.
367 Naviger undisona dudum me mole Saravus
368 tota veste vocat : longum qui distulit amnem,
369 fessa sub Augustis ut volveret ostia muris.
370 Nec minor hoc tacitum qui per sola pingua labens
371 stringit frugiferas felix Alisontia ripas.
372 Mille alii, prout quemque suus magis impetus urget,
373 esse tui cupiunt : tantus properantibus undis
374 ambitus aut mores. Quod si tibi, dia Mosella,
375 Smyrna suum vatem vel Mantua clara dedisset,
376 cederet Iliacis Simois memoratus in oris
377 nec praeferre suos auderet Thybris honores.
378 Da veniam, da, Roma potens ! Pulsa, oro, facessat
379 invidia et Latiae Nemesis non cognita linguae :
380 imperii sedem Romae tenere parentes.
381 Salve, magne parens frugumque virumque, Mosella,
382 te clari proceres, te bello exercita pubes,
383 aemula te Latiae decorat facundia linguae.
384 Quin etiam mores et laetum fronte severa
385 ingenium, natura tuis concessit alumnis.
386 Nec sola antiquos ostentat Roma Catones ;
387 aut unus tantum justus spectator et aequi
388 pollet Aristides veteresque illustrat Athenas.
389 Verum ego quid, laxis nimium spatiatus habenis,
390 victus amore tui praeconia detero ? Conde,
391 Musa, chelyn, pulsus extremo carmine nervis.
392 Tempus erit, cum me studiis ignobilis oti
393 mulcentem curas senique aprica foventem,
394 materiae commendet honos : cum facta viritim
395 Belgarum patriosque canam, decora inclita, mores,
396 mollia subtili nebunt mihi carmina filo

397 Pierides tenuique aptas subtemine telas
 398 percurrent : dabitur nostris quoque purpura fuis.
 399 Quis mihi tum non dictus erit ? Memorabo quietos
 400 agricolas, legumque catos fandique potentes,
 401 praesidium sublime reis ; quos curia summos
 402 municipum vidit proceres propriumque senatum ;
 403 quos praetextati celebris facundia ludi
 404 contulit ad veteris praeconia Quintiliani.
 405 Quique suas rexere urbes purumque tribunal
 406 sanguine et innocuas illustravere secures :
 407 aut Italum populos aquilonigenasque Britannos
 408 praefectarum titulo tenuere secundo :
 409 quique caput rerum Romam, populumque patresque,
 410 tantum non primo rexit sub nomine, quamvis
 411 praefuerit primis, festinat solvere tandem
 412 errorem, Fortuna, tuum, libataque supplens
 413 praemia jam, veri fastigia reddet honoris
 414 nobilibus repetenda nepotibus. At modo coeptum
 415 detexatur opus ; dilata et laude virorum,
 416 dicamus laeto per rura virentia tractu
 417 felicem fluvium Rhenique sacremus in undis.
 418 Caeruleos nunc, Rhene, sinus hyaloque virentem
 419 pande peplum spatiumque novi metare fluenti,
 420 fraternis cumulandus aquis. Nec praemia in undis
 421 sola, sed Augustae veniens quod moenibus urbis
 422 spectavit junctos natique patrisque triumphos,
 423 hostibus exactis Nicrum super et Lupodunum,
 424 et fontem Latiis ignotum annalibus Istri.
 425 Haec profligati venit modo laurea belli :
 426 mox alias aliasque feret. Vos pergite juncti
 427 et mare purpureum gemino propellite tractu.
 428 Neu vereare minor, pulcherrime Rhene, videri :
 429 invidiae nihil hospes habet ; potiere perenni
 430 nomine : tu fratrem, famae securus, adopta.
 431 Dives aquis, dives Nymphis, largitor utrique
 432 alveus extendet geminis divortia ripis,
 433 communesque vias diversa per ostia fundet.
 434 Accedent vires, quas Francia quasque Chamaves,
 435 Germanique tremant : tunc verus habebere limes.
 436 accedet tanto geminum tibi nomen ab amni ;
 437 cumque unus de fonte fluas, dicere bicornis.
 438 Haec ego, Vivisca ducens ab origine gentem,
 439 Belgarum hospitiiis non per nova foedera notus,
 440 Ausonius, nomen Latium, patriaque domoque
 441 Gallorum extremos inter celsamque Pyrenen,
 442 temperat ingenuos qua laeta Aquitanica mores,
 443 audax exigua fide concino. Fas mihi sacrum
 444 perstrinxisse amnem tenui libamine Musae.
 445 Nec laudem affecto, veniam peto : sunt tibi multi,
 446 alme amnis, sacros qui sollicitare fluores
 447 Aonidum totamque solent haurire Aganippen.
 448 Ast ego, quanta mei dederit se vena liquoris,
 449 Burdigalam cum me in patriam nidumque senectae
 450 Augustus pater et natus, mea maxima cura,
 451 fascibus Ausoniis decoratum et honore curuli
 452 mittent, emeritae post munera disciplinae,
 453 latius arctoi praeconia persequar amnis.
 454 Addam urbes, tacito quas subterlaberis alveo ;

455 moeniaque antiquis te prospectantia muris.
456 Addam praesidiis dubiarum condita rerum,
457 sed modo securis non castra, sed horrea Belgis.
458 Addam felices ripa ex utraque colonos
459 teque inter medios hominumque boumque labores
460 stringentem ripas et pingua culta secantem.
461 Non tibi se Liger anteferet, non Axona praeceps,
462 Matriona non, Gallis Belgisque intersita fines,
463 Santonico refluus non ipse Carantonus aestu.
464 Concedes gelido Durani de monte volutus
465 amnis ; et auriferum postponet Gallia Tarnem
466 insanumque ruens per saxa rotantia late
467 in mare purpureum, dominae tamen ante Mosellae
468 numine adorato, Tarbellicus ibit Aturrus.
469 Corniger externas celebrande, Mosella, per oras
470 nec solis celebrande locis, ubi fonte supremo
471 exeris auratum taurinae frontis honorem,
472 quave trahis placidos sinuosa per arva meatus ;
473 vel qua Germanis sub portibus ostia solvis :
474 si quis honos tenui volet aspirare Camenae,
475 perdere si quis in his dignabitur otia Musis,
476 ibis in ora hominum laetoque fovebere cantu.
477 Te fontes vivique lacus, te caerula noscent
478 flumina, te veteres, pagorum gloria, luci :
479 te Druma, te sparsis incerta Druentia ripis,
480 Alpinique colent fluvii, duplicemque per urbem
481 qui meat et dextrae Rhodanus dat nomina ripae,
482 te stagnis ego caeruleis magnumque sonoris
483 amnibus, aequoreae te commendabo Garumnae.